EX THEOLOGICIS DISCIPLINIS DECERPTAE VERITATES QUAS PUBLICA...

Bernardino Fusaro

26

EX

THEOLOGICIS DISCIPLINIS

DECERPTAE VERITATES

QUAS

PUBLICA DISPUTATIONE INSTITUTA

P. BERNARDINUS FUSARO

E VICETIA

ORDIN. MINOR. CONVENT. S. FRANCISCI

IN

C. R. CELEBERRIMA UNIVERSITATE PATAVINA

PRO LAURO

IN SACRA THEOLOGIA CONSEQUENDA

AB OBJECTIS VINDICAT

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXLIV.

REVERENDISSIMO PATRI

PATRONO

AC

MECOENATI GRATIOSISSIMO

PATRI MAGISTRO

ANGELO BIGONI

VIGILANTISSIMO

TOTIUS ORDINIS MINORUM CONVENTUALIUM

GENERALI MINISTRO

Lauream ex sacra Scientiarum Palaestra meo prae primis sudore excultam consequuturus, Veneratae Paternitati Tuae hasce Theses dicandas praesumpsi, Viro scilicet numeris omnibus absoluto, qui huic Almae D. Antonii Provinciae sapienti consilio praeeras, qui mihi ad Tui gregis partem vocato pari studio Mecoenas adstiteras, qui prudentia, doctrina ac omni virtutum laude ornatus, totius Ordinis nostri Praesul supremus jure ac merito salutatus, ejusdem promovendo decori tantopere invigilas, qui factus forma Gregis Tui ex animo, filios Tibi subditos exempla trahis, ac per-

ficis Ne vero modestiam Tuam cetera Tua praeclara merita recensendo offendam, subsisto Illud extremum quam maxime deprecor, Praesul Reverendissime, ut exiguum hocce meae in Te gratitudinis ac observantiae documentum benevolo vultu excipias, et me ea qua hactenus benevolentia fovere pergas, qui vitam Tibi longaevam incolumemque sincero ex corde apprecor

Patavii E Conventu D Antonii Die XIX Novembris MDCCCXLIV

REVERENDISSIMAE

PATERNITATIS TUAE

Humill, obsequientiss cliens et subditus

F BERNARDINUS FUSARO M C

EX ARCHAEOLOGIA BIBLICA

1. Duplex scribendi genus populorum Semiticorum omnino distinguitur, unde characteres litterarum omnes valent commode explicari.
2. Accentuum hebraicorum aetas punctorumque vocalium systema aliquod efficientium multo demum post Christum tempore figitur
3. Angelorum apparitio ac ministerium per integram illam Veteris Testamenti aeque ac Novi oeconomiam referuntur ad facta historica certissima atricae ac nudae interpretationis, in quibus veluti super basi consistant cetera
4. In Psalmo LI juxta Vulgatam notitia de peccato originis revelatur, aut potius confirmatur juxta traditionem antiquissimam omnium Hebraeorum
5. Nomina hebraica יֵרָקוֹן et שִׁדָּפוֹן morborum sunt, quibus in mense Novembri atque Februario laeduntur segetes, quorum tamen vera caussa ignoratur
6. Unus sacrificiorum omnium locus divino jussu designatus ad populum sanctum in cultu Jehovano continendum
7. Sanctitas sanitasque castrorum Israelis leges peculiares poscebant.

LX INTRODUCTIONE IN LIBROS VETERIS FOEDERIS

1. Determinamus numerum Librorum inspiratorum non e testimonio hebraicae nationis, verum ab oraculo Catholicae Ecclesiae

2. Quidquid sapit in Librorum eorumdem explicatione, dum genuinus inquiritur sensus atque adsignatur, cabbalisticam interpretationem, ne in lucem quidem protrahi meretur.

3. Neque ab Ezra, neque ab alio quovis, neque a concilio Litteratorum fuit refictus Pentateuchus.

4. Legationis divinae indicia, quamvis multa et hinc inde diversa, tamen sibi semper constantia fuere atque ejusmodi, ut a cogitationibus humanis discernerentur.

5. Omnia quae contra vaticinia Jesaiae in Babylonem objiciuntur, vento disperguntur

EX HERMENEUTICA BIBLICA

1. In propatulo est ad divinorum Librorum intelligentiam eriticas regulas omnino esse advertendas.
2. Typicus sensus per divinam in ipsis Scripturis factam manifestationem perque Ecclesiam modo patescit.
3. Totis lacertis sensum moralem kantianum, veluti vere falsum et funditus totam religionem conantem evertere, impugnamus.
4. Usus loquendi tanquam unicum et summum interpretandi principium a quibusdam injuste admittitur.
5. Nonnulli immerito obsequium Ecclesiae et Patribus quoad Scripturae interpretationem in rebus fidei morumque praestandum, adfirmant in arctum facultatem hermeneuticae artis compellere.
6. Nobis sacrorum scriptorum dignitas magis in re, quam in verbis inquirenda.

802

EX INTRODUCTIONE IN LIBROS NOVI FOEDERIS

1. Deum sacrae Scripturae, qua talis, vel revelando, vel adsistendo auctorem esse, adserimus.
2. Copia apocryphorum Codicis divini authentiae adeo nihil officit, quin immo magis magisque illam confirmat.
3. Integritas apographorum, etiamsi inter se aliquando discrepent, nequaquam labefactatur.
4. Pro Librorum Novi Foederis authentia Celsus Philosophus in suo opere, cui titulus ἀληθὴς λόγος, sese testem omni exceptione majorem profert.
5. Absurda omnino est illorum objectio, qui rationibus Victoris Turinensis nisi, nostra Evangelia interpolata esse plenis faucibus dictitant.
6. Codicem d. Matthaei dialecto syro-chaldaica, sive lingua aramaea exaratum negantes, facili negotio refellimus.
7. Autographa Ss. Librorum primis saeculis intercidisse, arbitramur.

EX HISTORIA ECCLESIASTICA

1. Platonicae philosophiae immoderati usus Patres antiqui a quibusdam recentioribus incassum redarguuntur.
2. Principium temporalium bonorum aequalitatis primaevos inter Christianos, proeul disceptatione summopere contulit ad vitae eorum perfectionem.
3. Vastatio a Barbarorum incursionibus Imperio Romano illata prae cunctis eventibus Ecclesiae Christi impegit vulnus immane.
4. Si Magnus Constantinus regnum suum alicujus religionis professione ampliare et firmare sibi suasisset, ethnicam potius quam christianam illi profitendam esse, satis clare innotescit.
5. Ex multiplicibus de Gnosticismi origine sententiis illa probabilior videtur, quae eum a placitis quibusdam religioso-philosophicis jam ante Christum natum per Orientem propagatis derivat.
6. Nicaena II Synodus Oecumenica VII errore facti non juris a Patribus Francofordiensibus fuit proscripta.
7. Haeretici inique ac injuste queruntur, Joannem Hus et Hieronymum de Praga Constantiae citra obtentam securitatis fidem rogo impositos et exustos fuisse.
8. Germen schismatis anglicani Lutheranismum unum jecisse defendimus.

EX JURE ECCLESIASTICO

1. Regimen Ecclesiasticum Monarchico simillimum arbitramur, quin tamen potestas Episcoporum exinde detrimentum recipiat.
2. Episcoporum jurisdictio a legitima superiori potestate cohiberi minuive potest.
3. Jura processu temporis a Pontifice acquisita, quaeque prius Conciliis provincialibus, vel metropolitis competebant, ipsi auferri non debent.
4. Excommunicationis jus Ecclesiae competens non humano tantummodo, ast et divino juri adscribendum censemus.
5. Arbitrantes Matrimonii sacramentum a civili contractu pendere, oppido falluntur.
6. Non immerito R. Pontifex quorumdam beneficiorum collationes Apostolicae Sedi reservavit.
7. A veritate valde deficiunt qui simoniacam notam annalis affingunt.
8. Ob jus patronalus fundo adhaerens quaecumque pretii accessio est illicita.
9. Jus Ecclesiae cavendi ne a civili potestate injuriam experiatur, firmis argumentis vindicamus.

EX THEOLOGIA DOGMATICA

1. Homo sibi soli relictus ad plenam legum moralium cognitionem eluctari nusquam est potis
2. Ecclesia Christi, cujus incorruptam integerrimamque indolem Numen O. M. perpetuo servat, quam uberrime intelligunt veritatis amatores, cognitu haud difficilis exoritur
3. Verbum Dei scriptum unicus revelationis fons nec est, neque esse potest
4. Deus omnipotentia sua, quae perfectionibus suis absistunt, quaeve sibi invicem vere pugnant, efficere nequit
5. Jactantes SS Trinitatis doctrinam intellectui humano adversari, graviter hallucinantur
6. Duae solummodo processiones divinae, una Verbi per *intellectum* a Patre, alia Spiritus Sancti per *voluntatem* a Patre Filioque, dignoscuntur
7. In Christo communicatio idiomatum *in concreto*, nullimode in *abstracto* invenitur
8. Gratia non tam in externa christianae legis promulgatione, quam potius in illustratione intellectus et voluntatis motione consistit
9. Homo absque divina per Jesum Christum gratia, per ea quae viribus naturae sive legis doctrina fiunt, coram Deo neutiquam justificatur

EX ETHICA CHRISTIANA

1 Rationalia jura, quidquid praejudicatis quidam opinionibus autument, sensuum longe potiora evadunt

2 Lex aliqua moralis semper existit, quam nemo non percipit, cuique omnes se obnoxios persentiscunt

3 Stoicorum instar omnem virtutis essentiam in sola sensualitatis subjugatione censentes, errore ducuntur

4 Ad essentiam theologicae Spei solum desiderium, sive confidentia sola nullatenus sat est, sed utrumque omnino requiritur.

5 Intercepto statu morali etiam imputatio cessat, dummodo actionis fors *in causa* quis auctor fuerit

6 Non omnis inordinata habendi cupiditas tenacitasve peccatum grave constituit.

7 Qui ab altero injuste offensus fuit, potest quidem satisfactionem *petere*, neque generalim inimicum ad ineundam reconciliationem *praevenire* tenetur

8 Frustra obtenditur, alterum, qui vel in magnis angustiis constitutus, vel per ignorantiam simplicitatemque pretium injustum solvit, in illud consensisse, adeoque volenti non fieri injuriam

9 Non raro contingit, ut in rebus etiam parvi momenti furi, debito semper cum moderamine, necem inferre liceat

EX DISCIPLINA PASTORALI

1. Pastoralem Disciplinam III et IV praesertim Ecclesiae saeculo incrementum in scriptis Patrum habuit
2. Pastoralis muneris natura, finis, praetereaque auctoritas Ecclesiae exigit, ut sacer Pastor per seipsum teneat in templo fidelium institutionem
3. Animarum Rector suo studio placere hominibus non appetat, sed tamen ad quod placere debeat, intendat
4. E sola Pastoris scientia, nisi comitem habeat virtutem, fructus spiritalis difficillime percipitur
5. *Facere et docere*: in hisce duobus Salvatoris verbis omnia Pastoris munera comprehenduntur
6. Aliquando leviora vitia relinquenda sunt, ut graviora subtrahantur
7. Proles infidelium, excluso discrimine vitae, contra parentum voluntatem non sunt prorsus baptizandae

FINIS